



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Vtrum pro se scripturam Lutherus ad suæ doctrinæ probationem habeat,  
& de prodigijs illius. Cap. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

facta pedissequa. MO. Hoc geminum est adulterium, foedifragiumq; coram Deo, cui uterque coelibatum vouerunt. Vch quomodo tam caeci homines esse possunt, vt tali seductori credant, qui ne specimen quidem probitatis in se habeat? MI. Si verum fateri licet, pudet meipsum illius causa, vellem viginti aureis mihi cōstitisset, ne hāc sibi monialem iungeret. MO. Idem quoq; satis illi rex Angliæ exprobrauit in epistola sua, quam contra Lutherum scripsit, posteaq; prius eruditum quendam libellum à se compositum edidisset. Cui libello, haud aliter Lutherus, quam probris & conuitijs, perinde vt canis rabidus & vlcerosus respondere potuit. In eadem epistola postmodum Lutherum regia maiestas Angliæ vt scurrā, incessit, quod se Christianam doctrinam de peremptione & maceratione carnis profiteri, venditare audeat, cum ipsemet monacham quæ Deo desponsata erat, ad suam libidinem allexerit, & tot animas sua impostura Deo suffuratus sit, vt merito publicam agendo pœnitentiam totum mundum peragrare debeat lachrymans, quaerens & retractans, quicquid mali suis verbis, scriptis & contagiosa vita sua designauit. Quid nunc mirum est tales discipulos esse, qualis magister est? Si quidem huiusmodi homines, qui absque spiritu & deuotione sunt (vt qui ieiunia, preces, laudationem Dei & omnem carnis castigationem & submissionem declinare volunt) ad ipsum, tanquam ad spaciosam viam, quæ ad æternam damnationem ducit consuunt ac deficiunt. Et vt auctior eorum fiat cuneus, nationes & populi quibusdam in locis ab ijs, qui iam seducti sunt, in opinionem eorum concedere compelluntur.

Qualesnā  
ad Lutherū  
confugerint

*Utrum pro se scripturam Lutherus ad sua doctrina probationem habeat  
& de prodigijs illius.*

*Caput XVI.*

*Miles.*

**E**Cquid tandem dicere moliris? Scripta diuina faciunt pro Luthero: lis nemo potest contradicere. MO. Lutherus habet scripturam, sed scriptura nescit Lutherū. Lutherus habet scripturā, sed hęc cum illo non facit. Ipse scripturā pro sua libidine detorquet atque cōmentitiā, falsam peruersamq; interpretationem suam scripturam sacram vocare audet. Num etiam credis ante decem illos annos quam hæreticum dogma suum cepit Lutherus verbum Dei, imò vnam fidem, vnum Baptisma, vnum Deum, vnam Ecclesiam, vnum spiritum Ecclesiam moderantem & in scriptura loquentem extitisse? MI. Maximè: hocine ego nō crederem? MON. Eadem Ecclesia, fides & intelligentia scripturæ adhuc apud nos est, semperq; isto modo à principio huc vsque fuit, in qua omnes sancti Martyres fuerunt, qui propter fidem interfecti sunt omnes sancti Doctores, per quos miracula Deus operatus est, qui scripturam nobis exposuerunt. Qui possit ergo accidere, vt iam alia fides noua, alia Ecclesia noua, alia intelligentia scripturæ noua existat, quæ è diametro pugnet cum antiqua aut quomodo tam stupidi, & mentis inopes erimus, vt illam deseramus Ecclesiam, in qua omnes Sanctos, cunctos Martyres, Christianos omnes Doctores nobiscum habemus, & ad perfidiosam sectam, quæ neminem, nisi hæreticos habet, deficiamus?

Scripturam  
vt hæretici  
peruertant.

Ecclesia ve-  
ra apud  
quos sit.

I. Cor. 14.

mus? MIL. Deus nunc homines æquè vt ante mille annos, illuminare posset. MONACH. Verum est siquidem opus esset, faceret id vtiq; sed eadem illustratio non esset contraria priori illius illuminationi: Deus non est dissensionis dissidijque autor, vt in tanti momenti articulo, fidei, aut cum in concilijs sancta Ecclesia congregata rem ambiguam in fide explanauit, hodie quippiam doceat, & cras hominem excitet, per quem aliud doceat, quod primè sanctæ determinationi aduersetur. Si Ecclesiæ ante Lutherum fuit, sempiternum illum sanctum Spiritum huc vsque moderatorem habuit. Porrò quia nunc alius spiritus venit, qui aliter & contrariè omnino docet, an hunc Spiritum esse sanctum credemus, qui tamdiu Ecclesiam deceperit, aut ipse errauerit, & nunc aduersus semetipsum doceat? Procliuus est creditu diabolici spiritum esse, qui spiritui sancto contrarius & aduersus est, cuperetq; seducere & impedire omnes homines, ne salui fiant. MILES. Lutherus secus dicit, doctrinam suam cœlitus sese habere, certu se affirmat. MON. Iacobus Apostolus signum ostendit nobis, quo, cuiam à cœlo sapientia data sit dignosci possit, quando ait: *Quis sapiens & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conuersatione sua operationem suam in magnitudine sapientia. Quod si zelum animarū habetis & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauū. Qua autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans & sine simulatione.* En sic Apostolus Iacobus sapientiam, quæ cœlitus est, describit. Cuius ne pilum quidem Lutheri doctrina habet, quemadmodum in omnibus libris suis inuenire est, in quibus nil nisi conuiciatur, traducit, subfannat, obloquitur, contemnit, dehonestat, & velut furiosus quidam rabidusq; canis mordet & insectatur mortales omnes, eos præsertim, qui ei rectè consulere, & ipsum in formare volunt, & debent. Videas illic lupum illum effrenatum, impudentem, imparum, nulli neq; gradui, neque ordini: imò nulli vel magistratui vel dignitati parcere: sed ex virulenta & pliusquam viperina lingua sua venenum fundere, qua malignis suis criminationibus in Episcopos, Reges, Cæsarem & Papam incurrit, vnumquemque indignissimis modis incesit, omnes Sactos Doctores, & proceres Ecclesiæ qui à Christo hætenus extiterunt, spernit, irridet, pro nihilo pedit, & is talis sibi fidem vult adhiberi, quod ipse certus sit suam à cœlo doctrinam esse. Quod nemo bonus & prudens illi dicenti vnquam crediderit, nisi eiusmodi sua verba hoc sensu, quo Christus dicit, accipiantur: *Videbam Satanam*, inquit, *sicut fulgur de cœlo cadentem.* Cum diabolus è cœlo lapsus sit, Lutherus verum dicere poterit, suam doctrinam, quam ex instinctu dæmonis habet, sicut ex descriptione S. Iacobi quilibet perspicit) vna cum Satana quoque de cœlo ruisse. Nam de diuina sapientia scriptum est, quod illa se in sanctas animas infundit, nec habitat in corpore subdito peccati, hoc est, in nullo superbo homine, criminatore & alienæ famæ obtrectatore, in nullo monialium incesto cōsupratore, qualis Lutherus est. MIL. Ecquid de scriptura sentiendum est? MO. Scripturas quæ Lutherus profert vitra mille quingentos annos Ecclesiæ habuit, sed non vbiq; intelligentiam illam, qua Lutherus quasdam expo-

Iacob. 3.  
Sapientia  
cœlitus in-  
fusa quibus  
signis possit  
internosci.

Lutheri do-  
ctrina quæ  
nihil habe-  
at cœlestis  
sapientia.

Luc. 10.

Sap. 1.

Vir. Scriptura vera est, & illam recipimus, sed explicatio, qua Lutherus contra Ecclesiam vitur, falsa, captiosa, hæretica est. Quamobrem Orthodoxi omnes aduersus Lutheri commentationem pugnauerunt, & non contra scripturam. Scripturam nobis Athanasius, Cyprianus, Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius & his similes, explanauerunt. Qui omnes doctores sancti fuerunt, & non apostata, per fugam, votifragi monachi, quemadmodum Lutherus, Fredericus, Martinus Buccerus, Franciscus Lamberti, imò non monachialium vitatores, sicut Lutherus & sui discipuli. Christus nostros Doctores sanctos (qui scripturam nobis elucidauerunt) vita virtutibus conspicua, sanctimonia operum, humilitate morum, signis & prodigijs cum in vita, tum post mortem illustrauit, & glorificauit, quibus testimonium illis veracis suæ doctrinæ præbuit: Inter quos multi etiam monasticæ professionis homines fuerunt. Quæ Lutherus miracula fecit, aut quare ipsi Deus testimonium præbet, quod sua doctrina vera sit, aut quod ipsi fides adhiberi debeat: imò si etiam prodigia, quibus fides adhiberi debeat, faceret, maiora & mirabiliora eadem, omnibus quæ vnquam à mundi vsque exordio facta sint esse oporteret, aded vt à nostræ fidei, siue religionis hominibus sanctis, qui propterea suum sudere sanguinem, & nunc apud Deum sunt, perpetrata prodigia obscurarent, & excelegerent. Hæc autem Lutheri sunt portenta, quod sua doctrina tot monasteria & delubra quasi scenilia subruit, desolauit & deuastauit, tot periuros votifragosq; monachos, tot montales siue monasticas virgines (quæ Deo coniugio elocata erant) prostituta pudicitia effecit, vt templa spoliata sint, & laus Dei & sacræ Missæ sacrificium è medio submoueatur, confessio, ieiunium, Sanctorum veneratio prohibeantur, integri & boni Christiani opprimantur & ludibrio sint, boni monastici homines profigentur. *MI.* Nihil igitur Lutheri Dei verbum facis? *MON.* Rectè quidem vocas Lutheri Dei verbum. Diuersa namque sunt Dei verbum, & Lutheri Dei verbum. Verbum Dei, hoc est, verum Dei verbū pluris, quam Lutherus cum omni phalange sua, facimus. Adulterinam verò explicationem & deprauationem sensus verbi Dei (quem Lutherus contra expositionem & intelligentiam Sanctorum iam apud Deum existens, & contra intellectum S. Ecclesiæ, ipse confingit & profert, quo vnumquemq; consilio diaboli ab angusta salutis via abducere cupit in latam illam & spaciosam viam damnationis perpetuæ) hoc inquam verbum Dei nihili pendimus, adeoque Dei blasphemiam existimamus, quod tale verbum, Dei verbum nominatur. An tam vesani essemus, vt Ecclesiam & fidem, quæ ultra quindecies centenos annos durauerunt, desereremus & eximiorum illorum Sanctorum scripta rejiceremus, in quibus sui per Spiritum sanctum illustrationem scripturas interpretando declarauerunt, & nonnullos improbos concionatores, & profugos monachos sequeremur? Qui nunc aduersus sanctam Ecclesiam & sanctos Ecclesiæ Doctores huius seductionis tumultum concitat. *Matt. 18.* Cum Christus dixerit. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* *MILES.* Iam contra monachos loqueris, quos tam malè suggillas. *MON.* Cum malis Christianis & improbis monachis succenseam, siue eosdè insecter, non ided tamen illud institutum improbo: probo bonos, qui institutum vitæ bonum retinent, & institutum quoque laudo, quod vsque aded

Lutherus  
nullis pro-  
digijs sua  
confirma-  
uit dogmata

Lutheri  
portent  
quanta sint.

Matt. 18.

K

etiam

Sanctis Do-  
ctoribus cur  
fidem adhi-  
beamus.

etiam est bonum, vt in eo prauū manere nequeant, imò ex eo aut reijciantur aut profugiant, quemadmodum ex bona aqua mortuus piscis. *MILES*. Cōfidere videris insignibus illis Doctoribus Augustino & Hieronymo. Nonne & hi homines fuerunt, qui falli aut fallere poterint? Quid ergo tantum ijs vis confidere? *MON*. Non vsque adeò ijs confido prout homines fuerunt, sed ob gratiam Dei, quæ ipsos irradiauit, per ipsos locuta est, & in ipsis est operata. Quod quidem in eorum integra vita & miraculis (quæ Dei virtute fecerunt) patet. *MIL*. Cur igitur errauerunt? *MONA*. Non ita delirauerunt sicut Lutherus, qui in suo deprauatus est sensu, & se in verbis suis instar anguis lubricum exhibet. Non vult quoque ab vllō homine, vel superiori potestate instrui.

Lutherus vt  
suum fen-  
sum omniū  
iudicio præ-  
tulit.

Licet autem sanctorum aliquis errauerit, non grandis error exiit. Quoniam non mordicus retinent aut defendunt proprium errorem, cōtra communem Ecclesiæ doctrinam, aut contra Conciliorum sicut Lutherus facit definitionem, & subiiciunt se ad suscipiendam informationem parati, superiorum iudicio stare & acquiescere. Lutherus autem neque Concilij, neque vllis superioribus, neque Doctoribus auscultat. In vniuersum omnes reijcit, imò, vbi Ecclesia etiam, quid in scripturis credendum sit, retinendum, aut intelligendum constituit, spudiat, & sui insani capitis sensum cunctis antepōnit, tanquam cæteri omnes de scripturis sanctis nil intellexerint, & Spiritus sanctus (qui planè illum ignorat) ipsum solum lecto cum moniali sua stertentem illuminauerit. Atque adeò quicquid ipse dicit, id verbum Dei appellat. Vbi igitur tamdiu spiritus remansisset, & Ecclesiam non illuminasset, imò seduxisset, donec cucullio iste tandem prodiret.

*Quod ex Lutheri secta plures alie multo peiores exsurrexerint, & vtram constitutiones Ecclesia cum scriptura conueniant.*

Caput XVII.

Miles.

Lutherus vt  
multarum  
fit autor hæ-  
reticum.

Plures etiamnum sectæ oriuntur. *MONACHVS*. Ita sanè, quemadmodum ex vna vipera, multæ subnascuntur, quæ suo morfu in partu matrem suam interimunt, ex Lutheri quoque secta plures alie multo peiores ortæ sunt, hoc dempto, quod Lutherus semen & primam radicem iecit. Omnes sibi videntur (quisque aduersus cæteros) secum scripturam habere. Sic Lutherana factio in varios modos & sectas diuisa est. Quilibet, qui sibi ipsi vult nomen parare, noui aliquid ementitur: & quærit, si in scripturis reperire aliquid possit, quod speciem quandam habeat, quo suam sententiam & opinionem confirmare possit. Quod ergo tum illi superstruit & comminiscitur, omne id apud ipsos est verbum Dei, cui nemo resistere debeat. Isto pacto simplices miserosq; homines decipiunt, & fermè noui aliquid quotiæ pullulascit, quod semper prioribus deterius est. Sic eo nunc ventum est, vt quidam asserant necesse esse, vt quisque rebaptizetur, nonnulli dicant, Christum non fuisse Deum, & in peccato originali natum esse, & suam matrem non fuisse virginem, & ipsum non fuisse Messiam. His rationibus fides nostra

Varia hære-  
tum porten-  
ta.